Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

Cassianus gloriosa veneratione suscipiens. in ecclesia que sanctorum martirum dicitur cum aliis simili gloriosa nece prostratis. sepeliuit iii kal. maii. Deinde quippe ob recordacionem tanti magistri tantique viri gloriosi meritum sacrosanctis sollempnitatibus est prosecutus. in tantum ut memoria eius ob gloriose passionis sive triumphum quotidiana veneratione debitis exsequeretur officiis.

Mortuo dehinc iuliano impiissimo augusto. divinaque tanto blasphemo in tempto virtute. iouinianus vir christianissimus. electione dei romanorumque militum ad clamacione imperium extitit subrogatus. Qui cum a paganis militibus ad imperatoriam eligeretur dignitatem. respondit se super paganos imperatorem non posse fieri. Militibus deinde acclamantibus omnibus se cum eo christianam fidem velle tenere. iouinianus consensit. monarchiamque romani imperii suscepit. Huius ergo temporibus ecclesie olim clause aperte sunt. divinique cultoribus sacras edes adeundi locus concessus est. hac respirandi quiete adepta. populus ortensis urbis episcopo indigens. inquirendo pontificem. misericordiam domini cepit implorare. Pensante igitur imperatore populus urbis ortensis cassianum pontificem ordinandum acclamauit. Quibus vocibus non solum imperator assensum prebuit. verum etiam cum ceteris acclamauit. cassianum adeo electum fieri episcopum. Quod vir beatissimus audiens digna humilitatis reverentia imparem se tanti ministerii respondit. ac per hoc se ad gerendum non posse multis persecutionibus denegauit. Sed populus divina virtute motus. populari more strepituque plebeio irruens super eum dixit. Cassianus civis noster dignus iustus/castus et sobrius. oportet ut noster fiat episcopus. His omni etate et utriusque sexu acclamante vox ad celum adtollitur. et mens cassiani ad consentiendum tantis vocibus moderatur.

Presente igitur alio cassiano episcopo ab asia in ecclesiam susceptus in ortensi civitate sanctus cassianus est ordinatus episcopus. Qui postquam solium pontificale ascendit. ditatus olim beate vite virtutibus auxit pietatis opera. qui sacerdotalis gradus auctus est gratia. iactantiam vitans. et mundiales spernens honores. nullis pecuniarum gazis deserviens. sed pauperum usibus queque habebat distribuens. thesaurum celo condens ubi eum possideret. cum eternis solutus in perpetuum vivere inciperet. semper habens in memoria que possessurus erat in vita eterna. Instabat predicationibus docens et instruens populum ad fidem christi ad religionis cultum. ad felicitatis eterne premium. monuit doctrinis ostendit exemplis. servabat gregem commissum pastor egregius. tendebat ad christum pontifex beatissimus. quo desiderabat ut perveniret omnis grex sibi commissus. Erat enim vultu clarus sed clarior mente. dulcis eloquio. mansuetissimus conversatione sine dolo. sine felle amaritudinis. Columba christi et animal regis eterni. facie letissimus ac semper mente serenissimus. ut vultu doceret qualis beatissima mente esset.

Hic primum in urbe ortensi construxit ecclesiam. et multum